


W. 40.



DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
**CONTRACTV
ASSECVRATIONIS**

QVAM
*SVB AVSPICIIS REGIIS
INCLYTI IVRECONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE ET CONSENSV*

AD
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
AC
PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CAPESSENDA

D. MAII. MDCCCLXXXVIII.

PVLICE TVERI CONABITVR
SIMON HENRICVS GONDELA
BREMA - SAXO.

GOTTINGAE,
Litteris BARMEIERIANIS.

DISSERTATIO IN VAGINATIS MUNDI
DE
CONTRACTA
ASSOCIATIONIS

SABRINA ASSOCIATIONIS REGIS
INCIVITATIS CONSULTORIUM ORDINIS
VACATORIATE ET CONSENSA

AD
SUMMOS IN VITRINA IARAE HONORES
AD
PRIVILEGIIS DOCTORIALIA
TITLE CONSULTORIUM
D. MILI MDCCCLXXXVII
THERESIUS TAUERI CONSULITUS
SIMON HERMANNUS CONDELLI
BRAUNIENSIS

GOTTINGAE
HEDERICI BALTMIERIANI

LIBERAE AC INCLYTAE
SACRI ROMANI IMPERII
REIPVBLICAE BREMENSIS

SENATVI

S P L E N D I D I S S I M O
VIRIS
PERILLVSTRBVS, MAGNIFICIS, EXCELLENTIS-
SIMIS, AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMIS
DOCTRINA AC MERITIS ORNATISSIMIS

D OM N I S
C O N S V L I B V S

D OM N I S
S Y N D I C I S

D OM N I S
S E N A T O R I B V S

FAVTORIBVS SVIS

SACRI ROMANI IMPERII

IN AETERNUM COLENDIS

SEIPIA PPIASAT HEMINISI

HVN C

QVALEM CVM QVE LIBELLVM ACADEMICVM

NIRIS

A

DE FILIAZTIRIAS MAGNITICIS EXCELENITIS
QVA PAR EST REVERENTIA

DOMINI

CONVENTIBVS

D. D. D.

DOMINI

SUNDICIS

DOMINI

FAVTORIBVS

AVCTOR.

COMPECTA

ex quo iuris mandatis per legem
et iurisdictio mala, et iurisdictio datur
ad quod est omnia potest.

C O N S P E C T U S.

Agitur

I. In vniuersum de assecurationibus §. 1-4.

II. Speciatim

A. De forma, obiecto assecurationis, et de personis
quae hunc contractum inire possunt. Sect. I. §. 5-13.

B. De obligationibus contrahentium. Sect. II.

a. De obligationibus assecurati Cap. I. §. 13-17.

1. indicandi assecutori ante initum contractum,
quod de conditione ipse compertum habet §. 13.

2. certiorem eum reddendi de fatis rei, postquam
periculo fuerit exposita, §. 14.

3. soluendi assecutori premium pro susceptione
periculi mutuo consensu determinatum. §. 15.

4. pro-

C O N S P E C T U S.

4. probandi, si restitutio[n]em damni perpeſſi ex-
igere ab asſecuratore velit, casum fortuitum, ri-
ſico ſuum, et preium rei damno affectae. §. 16.

b. De obligatione asſecuatoris, reſtituendi asſecurato
damnum intuitu rei asſecuratae existens. Cap. 2.
§. 17-22.

I. De natura damni, quod asſecuator reſtituere
tenetur asſecurato. §. 17-21.

1. ratione qualitatis. §. 17. 18.

2. ratione quantitatis. §. 19. 20.

3. ratione temporis, intra quod damnum in-
tuitu rei asſecuratae accidens ſpectat ad as-
ſecuatorē.

II. Quonam tempore et cui damnum fit reſti-
tuendum. §. 21.

C. De modis tollendi contractū asſecuratio[n]is. §. 24.
25. 26. 27.

PARS

PARS GENERALIS.

DE NATVRA ET INDOLE CONTRACTVS
ASSECVRATIONIS.

§. 1.

ASSECVRATIO nobis est conuentio, *qua quis pro certo
pretio in se recipit determinatum rei alienae periculum.*

§. 2.

Eo tempore, quo omnia negotia ex iure peregrino
diuidicabantur, assecurationem quoque cum emtione ven-
ditione, fideiussione aliisque contractibus romanis compa-
rare soliti sunt doctores, et ex ea conuentione, quacum
maximam similitudinem habere videbatur, interpretari(a).
Hodie autem fere omnes in eo consentiunt, assecurationem
esse

a) KVRIKE diatriba de asse-
curationibus p. 5. LOCCENIUS
ius maritimum l. 2. cap. 5. STYP-

MANN de iure maritimo P. 4
cap. 7. n. 159 - 199.

esse contractum proprium, per se subsistentem, quem consti-
tuerunt homines, vt indemnes seruarentur in rebus pericu-
losis, quemque leges subleuauere, quum saluti publicae
eum expedire existimarent. Finis igitur assecurationis,
quum sit auersio damni ab eo, qui rem suam periculo expo-
nit, patet, hanc conuentionem assecurato nunquam mo-
dum adquirendi fieri posse b).

§. 3.

Sicut hodie omnes conuentiones, ita et contractus
assecurationis, contractus bonae fidei est. Quaedam ta-
men continet, quae ad stricti iuris contractus magis spe-
ctare videntur, quo praeципue referas: quod ea, quae se-
mel in conuentionem sunt deducta, strictissime sunt ab as-
securato obseruanda sub poena nullitatis totius negotii.
Cuius ratio est: quia minima mutatio eius, quod in con-
tractu est determinatum, periculum quoque mutare so-
let (c) — verba contractus porro potissimum sunt ponde-
randa (d), quod fere vbique contractus assecurationis litte-
ris

(b) COCCET Exercit. T. I.
diff. de assecur. §. 49. STRACCA
de assecur. Glosa 20. n. 4. LAN-
GENBEK HAMBVRGISCHE S
Schif. und Seerecht suppl. 5. §.
18. 19.

(c) POTIER des assurances
n. 68. TARGA ponderazioni sopra
le contrattazioni maritime cap. 52.
n. 8.

(d) STYFMANN, P. 4. cap. 7.
n. 420.

ris est mandandus, neque clarius nisi ex litteris his intelligi potest voluntas partium tempore initiae conuentio[n]is (e). — Quum porro asscurator pro determinato pretio periculum, seu *r[is]ico* asscurati in se recipiat, hocque incertum sit, neque possit praedeterminari, ad eos contractus pertinet asscuratio, quos *contraet[us]* aleae vocant (f).

§. 4.

Finis asscurationis quum sit reparatio damni perpetui, eiusmodi conuentio *sponsio* potius quam *asscuratio* est, qua ex una parte aliquid promittitur, si salua maneat, ex altera vero, si intereat vel damno adficiatur res tertii cuiusdam (g). Idem obtinet, si cui, vel perdita vel laesa re, quam suam esse asserit, restitutio quidem damni pro certo pretio promissa, sed quoque probatio remissa est, periculum huius rei ad eum spectare. Non enim patet in hoc negotio, an damnum, quod intuitu eius rei accidit, vere ad eum pertineat, quod tamen ad essentiam huius contractus requiritur. Nec minus *sponsio* potius quam *asscuratio* est ille contractus, quo quidem domino promittitur certa pecunia,

(e) CASAREGIS de commercio discept. I. n. I.

(f) EMERIGON Traité des assurances, Ch. I. Sect. 3. §. 2.

(g) WESKETT. Theorie und Praxis der Asscuranzen (übersetzt von Engelbrecht) Tom. 2. pag. 250. n. I.

nia, si intereat res vel laedatur, sed valori huius rei non conformis (*b*). Tunc quidem in casu damni certam pecuniam acciperet asscuratus, non autem restitutionem damni, id quod natura huius contractus exigit (§. 1. 2).

PARS SPECIALIS

SECTIO I.

DE FORMA ET OBJECTO ASSECVRATIONIS, ET DE PERSONIS QVAE HVNC CONTRACTVM INIRE POSSVNT.

§. 5.

Omnes fere in eo consentiunt leges, praeter consensum in susceptionem periculi pro determinato praemio ad valorem asscurationis requiri, ut conuentio haec ad evitandas fraudes, et ad faciliorem reddendam probationem in scripturam, *polizam* vocant, sit redacta. Hunc in finem in omnibus ciuitatibus, vbi commercium floret, polizae, publica auctoritate typis impressae adsunt, spatia quaedam continent, quibus conditiones suas inferre,

(*b*) BALDASSERONI *delle asscurationi maritimi* T. I. p. 1. Tit. 2. §. 14.

contrahentibus licet. — Quae quidem poliza continere debet: 1) nomen asscurati, cui tamen clausula adiici solet oder für Rechnung, den es sonst angehen mögte (i). 2) Nomen nauis Asscuratoris enim, etiam si nauis non sit obiectum huius contractus, valde interest, cuinam nauigio merces imponantur, quarum periculum in se recepit. Si autem asscuratus ex iusta cauffa nomen nauis ignorat, praeципue si merces ex loco remoto expectantur, nihilominus asscuratio valet (k) sed ad euitandas fraudes, et ut discerni ab aliis res asscurata possit, requiritur, vt loco nominis nauis, plaga mundi, ex qua expectantur merces, in poliza indicetur (l) et quantum fieri potest, pretium et qualitas earum, tam externa, quam interna (m) nomenque eius, qui rem expectatam mittit, et ad quem destinantur (n). 3) Nomen magistri nauis, quia magis adhuc quam nomen nauis scire, asscuratoris interest, quisnam ei pendente itinere sit praepositus. 4) Obiectum asscurationis. 5) Locum, vbi res asscurata periculo exponitur et ad quem destinata est. 6) Tempus per quod risico durat. 7) Determinationem periculi ab asse-

cu-

(i) MAGENS *Versuch von Af-
securanzen* cap. 15.

(k) MAGENS *Versuch* cap. 15.

(l) EMERIGON, Ch. 6. S. 5.

p. 174.

(m) MAGENS l. cit.

(n) WEDDERKOP. §. 115.

curatore suscipiendo. 8) Diem mensem et annum, quo ass-
secutor nomen suum polizae subscripsit (o).

§. 6.

Proxenetam ad ineundum contractum adhibere, non
est necesse. Quodsi autem eo vsi sint contrahentes, omnia
ille quae de conditione rei cognita habet, super qua assicu-
ratio ineunda est, assessori indicare, polizis publicis
vti, spatia pro voluntate partium manu propria explere,
et curare tenetur, ne iis quid inferatur, quod cum natura
contractus in genere, vel legibus specialibus certet. Con-
tentia porro polizae, et quatenus de conditione rei ex man-
dato domini assessori certiore reddidit proxeneta,
cum adnotatione diei mensis et anni, quo contractus initus,
et nuncius assessori adlatus est, libro suo, huic usui de-
stinato inferere debet. Pretium suscepti periculi seu *prae-
mium*, quod ab assessoro accepit proxeneta, soluere tene-
tur assessori. Hic autem, si ratione praemii fidem pro-
xenetae secutus sit, solutionem eius tantum ab illo, non
ab assessoro exigere potest, nisi fidem fallat proxeneta.
In hoc enim casu etiam aduersus assessorum, ad soluen-

(o) WESKETT. T. 2. p. 61.

dum praemium agere potest, modo probet, proxenetam illud ab assecurato nondum accepisse (*p*).

§. 7.

Omnis, quibus conuentiones inire ex legum dispositio-
nem licet, partes assecurati suscipere possunt, modo per-
iculum rei ad eos spectet, vel mandato instructi sint, ad
hunc contractum ineundum (*q*). — Periculum autem rei
alienae in se recipere, seu assecurare, potest quilibet, cui
in genere se obligare et de bonis suis disponere licet (*r*).
Minores quoque viginti quinque annis, qui publice merca-
turam faciunt, officium assecuratoris cum effectu suscipere
possunt, quum minori negotianti non competant beneficia,
eiusmodi personis alias concessa (*s*). In eo autem fere
omnes consentiunt assecurationum leges, proxenetas (die
Affsecuranzmäkler) ab hoc officio esse arcendos (*t*). Ex

non-

(*p*) Ord. v. AMSTERDAM.
art. 37. HAMB. A. O. Tit. 2.
art. 3. Ord. v. ROTTERDAM.
Art. 76. 77. 78. 79. Recopilacion
de leges de las INDIAS. Lib. 9.
Tit. 39. leg. 2. SCHWEIDISCHE
A. O. 3 Abschn. art. I.

(*q*) ENGELBRECHT vollstän-
dige Affsecuranzwissenschaft p. 91.

(*r*) MAGENS Versuch cap. 5.

(*s*) EMERIGON. Ch. 4. S. I.
§. I.

(*t*) Ord. de la marine de LOUIS
XIV. Lib. 3. T. 3. Art. 68.
Ord. v. AMSTER. Art. 39. HAMB.
A. O. Tit. 2. §. 2. SCHW. A.
O. Art. 2. §. I. PREVSS. Seer
Art. 6. §. I.

nonnullarum quoque legum dispositione iudices, assecuratio-
num controuerias cognoscentes (*u*), eorum scribae et mi-
nistri, dispartitor publicus (der Dispacheur) (*v*) publica-
ni (*w*) inter eas personas sunt referendi, quibus, alienum
periculum in se recipere est interdictum (*x*).

§. 8.

Assecurari possunt omnes res, quae in commercio
existunt, neque speciali legis dispositione sunt exemptae (*y*).
Quae exemptio vero, si non est absoluta, sed in fauorem
tantum assecurationis tendit, licet eidem, beneficio suo re-
nunciare, et valet conuentio super eiusmodi rebus prohibi-
tis, modo contractus fraude careat (*z*). Res autem quae
plurimum constituunt obiectum assecurationis, sunt naues
et merces trans mare mittendae. Hae non solum singulæ,
sed etiam in vniuersum sub generali nomine *mercium* (Gü-
ter, Kaufmanschaften) assecurari solent. Illud propter fa-
ciliorem probationem consultius est, hoc vero, si merces
sunt

- (*u*) *Ord. de la mar.* 1. cit. art.
68. *Ord. v. ROTTERD.* Art. 82.
v. MIDDLEBURG. Art. 69.
SCHW. A. O. art. 2. §. I.
- (*v*) *HAMB.* A. O. l.c. *SCHW.*
A. O. l. cit.
- (*w*) *SCHW.* A. O. *Ord.* v.
MIDDLEB. l. cit.

(*x*) *WEDDERKOP ius nauti-
cum* §. 60.

(*y*) *WEDDERKOP.* §. 72, 73.
74.

(*z*) *MAGENS Versuch* c. 7.
p. 6.

funt asscuratae, quae ex aliis locis expectantur, vel quae per mandatarium trans mare mittuntur (a). Hisce enim in casibus, si res asscuratae speciatim in poliza sunt nominatae et, (quod facile euenire potest) periculo non exponuntur, tollitur contractus, quia obiectum eius mutatur (§. 3.), id quod fieri nequit, si obiectum asscurationis sub generali nomine mercium comprehenditur, quia fere omnia mercium genera in eo continentur (b).

§. 9.

Sub generali denominatione mercium tamen non intelliguntur 1) res quarum asscuratio legibus est interdicta (c), etiam si haec prohibitio non absoluta sit, sed vnicē tendat in fauorem asscuratorum, quia renunciations non prae sumuntur. 2) Res quae ex legum dispositione ob periculum extraordinarium, in quo versantur, in poliza speciatim sunt indicandae (d), quo pertinent praeципue res confiscazioni, vel subitae corruptioni expositae. Quarum, si speciatim in poliza mentio facta non sit, quaedam leges, contractum asscurationis, quatenus eas concernit, nullum esse

(a) WEDDERKAT l. c.

6. art. 31. HAME. A. O. T. 4.

(b) MAGENS p. 9. 10.

art. 8. 10. PREUSS. Seer. I. 6. art.

(c) STRACCA. Gloria 5. n. 1.

3. SCHW. A. O. Art. 5. § 34.

(d) Ord. de la marine l. 3. T.

esse volunt (*e*). Hoc vero ubi non disponere leges, vel si eius modi res speciatim indicare assecuratus non queat, valet quidem negotium, assecuator autem ad praestandum periculum rei insolitum non est obligatus, et si praestare debet periculum id, cui quaevis alia res exposita fuisset in eodem casu (*f*).

§. 10.

Praeter merces obiectum huius contractus frequens sunt *naues*, sub quo generali nomine omnia comprehensuntur, quae ad naues pro diuersa earum destinatione pertinent, armamenta quoque et cibaria (*g*) non autem mercedes nautarum, de quibus ne specialis quidem assecratio iniri potest (*h*). Tempore huius contractus enim, quum nondum finita sit nauigatio, merces nautarum nondum est adquisita. Ratione rei autem, nondum adquisitae, nec adest periculum damni, sine quo non valet contractus noster. Si autem nautis iam repraesentata fit merces, exceptionem patitur regula, ratione eius deficiente (*i*). — Generatim

(e) HAMB. A. O. Tit. 4. art. MIDDLEB. art. 6. HAMB. T. 2.
SCHW. A. O. 1. c. art. 4. PREUSS. Samm. 6.

10. SCHW. A. O. I. C. art. 4. PREVSS. Seer. c. 6. art.
(f) BALDASSERANI T. I. P. 10. Ord. de la marine L. 3. T.
6 art. 17.

3. Tit. i. §. 6. pag. 215. ¹⁴
(g) EMERIGON Ch. 10. S. 1. 6. art. 15. ¹⁴
(i) MAGENS Versuch S. 16.

(g) EMERSON CHARTER H.
S. 2. A. P. A. 3. p. 22. STRAESS. C. 16.

(h) *Ord. v. Amst.* art. I3. T. g. d. enriente al sh. h. 10 (h)

id quoque de assecurazione nauium est notandum, quod si periculum nauium indistincte suscepitum est, hoc de prima nauigatione tantum intelligitur (*k*), quia minimum periculum in se recipere voluisse, semper praesumendus est asssecuator.

Non dubitatur, validum etiam obiectum contractus nostri esse pecuniam, quae vulgo Bodmerrygeld vocatur (*l*). Quae est fors in carinam nauis ea sub conditione credita, ut si intereat nauis, nihil, si autem salua redeat, fors cum vñis maioribus creditor i restituatur. Creditor enim, qui in periculo est constitutus, cum interitu ratis creditum suum amittendi, periculum hoc per contractum assecuratio nis in alium deuoluere, non prohibetur (*m*). Super vñis vero ei in contractu bodmeriae promissis non valet asssecratio, quia illae salua redeunte naui demum adquiruntur. Debitori autem, neque super pecunia, quam per contractum bodmeriae mutuo accepit, assecurationem inire licet, quia periculum huius fortis ad eum non spectat.

Eadem

(*k*) STRACCA de assecurationib.
Gl. 12. d. 3. *Decisiones rotae GE-*
NVENSIS. Decis. 25. n. 3. ad

(*l*) MAGENS c. 17. not. I p. 27.
(*m*) BALDASSERONI T. 1. p.

Eadem ex causa neque de naui assēcurationem inire debet, in cuius carinam pecunia credita est, nisi quatenus pretium nauis excedat quantitatem sortis, quam mutuo accepit (n).

§. 12.

Ratione omnium obiectorum, de quibus contractus assēcurationis initur, obseruandum est: 1) Licere assēcurato, ita sibi per hunc contractum prospicere, ut assēcurator, si interierit res, cuius periculum in se recepit, obligetur ei, non solum ad restituendum damnum, quod intuitu rei accidit, sed etiam ad restitutionem praemii, quod profusciendo periculo accepit. Tali modo autem, quia durior fit assēcuratoris conditio, pro noua obligatione, quam in se recepit, praemium quoque nouum soluere ei tenetur assēcuratus (o). 2) Sicut omnium rerum, per leges non exemptarum periculum suscipi potest, sic etiam periculum, quod ex contractu assēcurationis imminent assēcuratori, in tertium quemdam conferri potest, id quod *reassēcurationem* vocant. Haec autem conuentio, quum tantummodo inter reassēcuratum et reassēcuratorem fiat, sequitur, inter reassēcuratum et reassēcuratorem nullum vinculum, nulla iura

(n) BALDASSERONI l. c.

(o) Ord. v. AMSTERD. art. 22.
Ord. de la marine l. c. art. 20.
HAMB. A. O. Tit. 3. art. 3.

SCHW. A. O. art. 3. §. 3. MAGENS *Versuch*, cap. 26. EMERIGON Ch. 8, §. 12. §. 1, p. 242*

iura et obligationes existere, et priorem contractum per posteriorem nullo modo mutari (p).

SECTIO II.

DE OBLIGATIONIBVS CONTRAHENTIVM

CAP. I.

DE OBLIGATIONIBVS ASSECVRATI.

§. 13.

Is qui rei alicuius periculum, quod ad ipsum spectat, in aliud quemdam transferre cupit, conditionem, qua vtitur res illa, qualitatem et vitia eius, quae ad augendum periculum aliquid conferre possunt, alteri indicare debet, eum quidem in finem, vt alter ille, qui partes asscuratoris suscipere vult, de statu rei aequi informatus, ac is, qui transferre in eum cupit periculum, prouti consultius visum fuerit, vel asscurationem acceptare possit, vel repudiare, et in priori casu ex natura periculi suscipiendo iustum praemium determinare. Quodsi autem asscuratus mala fide de statu rei ante initium contractum, non vti fas erat, certiorem reddiderit asscuratorem, tota cōuentio

C 2 tolli-

(p) EMERIGON Ch. 8. S. 14. §. 1. 2. 3.

tollitur. Negotium enim assencionis bona fide quam maxime nititur (*q*), isque qui dolose egit, omnibus commodis priuatur, quae percipere potuisset (*r*). Sed eodem modo tollitur contractus, si quidem non mala fide egerit asseturatus, sed si eius culpa caussa fuerit, quapropter de conditione rei non satis certior redditus sit asseturator. Hic enim de statu rei melius informatus, periculum eius fortasse in se non recepisset, itaque iniquum foret, asseturatum ex sua culpa cum damno alterius locupletari (*s*).

§. 14.

Non solum autem asseturator ante initum contractum, conditionem rei assuratae indicare asseturatori, sed etiam de fatis eius, et damnis durante itinere intuitu eius accidentibus, ut primum nuntium de iis accepit, certior rem reddere asseturatorem tenetur, eum quidem in finem, ut hic ad reficiendam rem assuratam, vel ad restituendam eam in integrum statum, omnem operam impendere possit (*t*).

§. 15.

(*q*) WESKETT T. I. p. 16 l.

D. 2.

(*r*) Ord. v. AMST. art. 56. v.

MIDDLEBVRG art. 30. HAMB.

A. O. art. 1. SCHW. A. O. 3.

Theit. art. 2.

(*s*) WESKETT. tom. 2. p. 200.

EMERIGON Ch. I. S. 6. §. 3.

(*t*) Ord. v. AMST. art. 36. Ord.

de la marine l. 3. tit. 6. art. 42.

HAMB. A. O. tit. 15. art. 5.

PREV'S Seerecht art. 21. SCHW.

A. O. art. 5. §. 20.

§. 15.

Affeccurator in se recepit periculum rei alienae pro praemio, cuius quantitas a voluntate contrahentium, et qualitate periculi suscepiti pendet (*u*). Itaque ex natura contractus nostri affeccuratus praemium conuentum illo modo et tempore, quae vel pacto vel lege determinata sunt, soluere tenetur, et perinde est, an suo, an mandatario nomine contraxerit, quia ex generali consuetudine in hoc negotio obtinente, mandatarius ad soluendum praemium obligatur. Sed etiam aduersus mandantem agere in hunc finem potest affeccurator, modo mandans ipse praemium nondum numerauerit mandatario suo (*v*). Praemium regulariter quidem in pecunia numerata consistere solet, nihil tamen impedit, quo minus alio modo recompensationem istam constituant contrahentes, et nihilominus eiusmodi conuentio vera affeccuratio manet. Praemio autem plane deficiente per se quidem negotium subsistere potest, sed ex natura affeccurationis diiudicari nequit (*w*). Quod ad tempus solutionis attinet, omnes fere leges iubent, ut in limine contractus praemium affeccuratori soluatur (*x*).

C 3

Quae

(*u*) WESKETT T. 2. p. 67.
n. 4.

(*v*) VALLIN art. 3. p. 32. POTHIER n. 98. EMERIGON Ch. 5. S. 4. §. I. BALDASSERONI

Tom. I. P. 2. Tit. 7. §. 13. 15.

(*w*) MAGENS *Versuch* cap. 52.

EMERIGON Ch. 3. c. 10. p. 90.

(*x*) Ord. v. AMSI. art. 37. Ord.

Quae vero dispositio, quam poena nullitatis negotii non sit munita, sed vnicē tendat in fauorem asscuratoris, huic licet beneficio suo renunciare (y).

§. 16.

Asscuratus qui ad restitutionem damni obligare vult asscuratorem, non solum casum fortuitum, quo vel interierit res asscurata, vel damno affecta sit, sed etiam *rīsico* suūm, et pretium rei, quatenus amissa est, probare teneatur. Modus probandi casum fortuitum, qui plerumque abtinet, hic est: exponitur damnum a nauarcho (Protest des Schifffers) coram iudice, consule, vel notario eius loci, quem post finitum iter primum attingit, eaque damni expositio quorundam testium dictis est confirmanda (z). Verum etiam alio modo fieri potest casus fortuiti probatio, quae quum ex natura negotii perdifficilis sit, leuior esse potest, ita ut unus testis habilis (a) et plures inhabiles sufficiant (b). Liberatur autem ab hac probatione asscuratus, si per longum tempus lege definitum nūcnius de re af-

de la marine l. 3. T. 6. art. 6,
PREVSS. Seer. I. 9. Tit. 6. art.
5. SCHW. A. O. art. 5. §. 1. DÄN.
A. O. art. 22.

(y) MAGENS cap. 59.

(z) MAGENS *Versuch* c. 59. p.
96.

(a) *Decisiones rotae GRENVEN-*
SIS D. 36. n. 4. MARQVAR'D lib.

2. c. 13. n. 75.

(b) *CASAREGIS* disc. 1. n.
75. disc. 2. n. 12. *Decisi. rotae*
GEN. l. c. n. 5. *EMERIGON*
Ch. 14. S. 3. §. 3.

securata non assertur (*c*), quia tunc rem interisse, legitimate praesumitur. — *Risico* suum, si de naui assecurata quaestio est, assecurator praecepit docet per probationem tuli, quo vel dominium, vel saltem periculum nauis in ipsum translatum est (*d*). Intuitu mercium autem risico ipsius probatur per apochas nauarci (das Connoissement), quae continet mercium naui impositarum catalogum, et cuius nomine in nauem sint immiscae (*e*), quae vero apochae aliam probationem nullo modo excludunt. Denique assecuratus, quatenus res sua damnum est perpesta, pretium eius probare, i. e. docere tenetur, quanti ipse rem emerit, vel quanti valuerit res assecurata eo loco et tempore, quo periculo exponeretur (*f*). Ad huius enim pretii restitucionem se obligavit assecuratus, quare mutatio pretii externi, quae postea evenit, ad eum non spectat (*g*). Liberatur autem ab onere probandi pretium rei assecuratae, si eius aestimatio polizae est inserta. Haec enim, sem e ab assecuatoro agnita et approbata, normam praebet, ad quam in casu fortuito restitutio damni est determinanda, etiam si aesti-

(*c*) *Ord. v. Amst.* art. 29.
PREVSS. *Seer.* art. 23. HAMB.
A O. T. 2. §. 1. *ordonn. de la
mar.* art. 51. 58.

(*d*) MAGENS. *Versuch* c. 59, p.
96, n. 3.

(*e*) VALIN p. 597. art. 1.
(*f*) LANGENBEK *suppl.* 5.
§. 82.
(*g*) WESKETT T. 2, p. 30. 31,

stimatio verum rei asscuratae pretium excedat. Namque et si plures leges prohibeant, quominus aestimatio verum rei pretium excedat, nil tamen iniqui habet res, quem lucrum inde non percipiat asscuratus, quia aucta aestimatione augetur quoque praemium, quod pro periculo suscipiendo soluitur (h).

CAP. II.

DE OBLIGATIONE ASSECVRATORIS.

§. 17.

Finis, ob quem contractus asscurationis initur, est restitutio detrimenti, quod intuitu rei asscuratae passus est dominus vel is, ad quem periculum eius rei spectat. Hic igitur per casum fortuitum laesus, quatenus iam aliunde indemniss seruatus est, ab asscuratore nihil exigere potest. Ceterum vero ex omnium legum dispositione, damnum quod ex iracundia maris, ex tempestate, procellis vique hostium oritur, refarcire tenetur asscurator. Praeter haec autem, non solum omnia damna ipsis rebus asscuratis obuenientia (i), verum etiam quae saltim respectu eorum patitur asscuratus, ad asscuratorem spectant (k),

qua-

(h) MAGENS Verfuch c. 25.

(i) SIYPMANN P. 4. c. 7.

n. 311. TARGA c. 52. n. 2.

(k) WEDDEAKOP §. 91

quatenus ab hac obligatione natura rei, leges et conuen-
tiones speciales assicuratorem non liberant.

§. 18.

Assicurator autem restituere non tenetur I) Damnum, quod ex natura rei ipsius nascitur (l). Ad assicuratorem igitur, qui periculum nauis in se recepit, non spectat, si per usum, cui destinata est, nauis deterior redditur (m), vel si ob vetustatem iter finire nequit (n). Quodsi vero merces nauis impositae, obiectum contractus nostri sint, quatenus per naturam suam corruptae vel diminutae sunt, eatenus respectu earum non obligatur assicurator (o). Sed aliter se res habet, si causa externa e. g. arrestum, corruptioni occasionem dederit (p). II. Impensaे itineris ordinariae, quia ad damna referri nequeunt, ad assicuratorem non spectant. Si autem per casum fortuitum crescant, earum restitutio, quatenus auctae sunt, omnino ab assicuratore exigi potest (q). III. Damnum, vel dolo

(l) Ord. v. AMST. art. 27. Ord.
de la mar. L. 3. T. 6. art. 29.
HAMB. A O. T. 5. art. 7. PREVSS.
Seer. cap. 6. art. 32.

(m) MAGENS cap. 42. pag. 60.
(n) BALDASSERONI T. I.

p. 381.

(o) WESKETT T. 2. p. 190.

STYPMANN P. 4. cap. 7. n. 320.

(p) vid. not. (l.)

(q) BALDASSERONI I. c.

vel culpa asscurati, siue directe siue indirecte ortum, restituere ei non tenetur asscurator, quia damnum, quod quis sua culpa sentit, non sentire videtur (r). Id quoque damnum ad asscuratorem non spectat, quod ex dolo vel culpa mandatarii asscuratoris oritur, quia mandatarius personam mandantis repreäsentat (s). Detrimentum vero, quod propter dolum vel culpam magistri nautis et nautarum patitur asscuratus, ex plurimarum legum dispositione, restituere ei tenetur asscurator (t). Attamen, vbi leges contrarium disposuere, licet asscurato, vi conuentionis specialis etiam hoc periculum asscuratori iniungere.

§. 19.

Asscurator, qui rei alienae periculum in se recepit, non solum obligatur ad restituendum damnum, quod ex totius rei interitu oritur, sed et hoc quoque tenetur pensare asscurato, quod nascitur ex laesione rei. Cessat autem haec posterior asscuratoris obligatio, 1) si polizae clausula "frey von Haverey" sit inserta (u) 2) si deficiat quantitas

(r) EMERIGON. Ch. 12. S. 2.
§. 1.

(s) BALDASSERONI T. I. P. 4. Tit. 8. §. 20

(t) KVRICKE diatr. pag. 6.
MAGENS cap. 51. HAME. A. O. Tit. 7. art. 1. PREVSS. Seer. cap.

6. art. 28. SCHW. A. O. art. 6.
§. 14. Ord. v. AMST. WESKETT T. I. p. 84. T. 2. n. 16.

(u) WESKETT. T. I. p. 208.
n. 13. EMERIGON Ch. 12. Sect. 45. §. 2.

tas damni, quae ad obligandum asscuratorem, ut asscuratum indemnem seruet, ex legum dispositione requiritur. Minimam enim laesionem praejudicio esse asscuratori, nolunt leges, eumque in finem fere omnes disponunt, si damnum quod intuitu rei asscuratae accidit, vel non attingat, vel non excedat 3 pr. C., eiusmodi detrimenti restitucionem exigi ab asscuratore non posse (*w*). Huius autem legitimae dispositionis ratio quum ea sit, ne omne damnum vel minimum iniungatur asscuratori, res ipsa docet, ad determinandam hanc legitimam quantitatem, si de asscuratione mercium quaestio fuerit, non omnium rerum asscuratarum esse rationem habendam, Sed potius, si poliza tantummodo nomen generale "Kaufmanschaften". contineat, ad quodlibet genus mercium est respiciendum, an laesio eius generis legitimam damni quantitatem attingat (*x*). Quodsi vero singularum mercium in poliza mentio sit facta, cuiusque rei specialis ratio est habenda (*y*).

D 2

§. 20.

(*w*) *Ord.* v. AMST. art. 34. v.
ROTTERDAM art. 44. PREVSS.
Seer. cap. 6. art. 32. HAMB. A. O.
Tit. 21. art. 11. SCHW. *Haverey-*
Ord. art. 2. §. 1. DÜN. A. O. §. 14.

(*x*) *Weskett.* P. I. pag. 300.
301.
(*y*) *Langenbek* suppl. 6.
§. 82. MAGEN. cap. 60. *Weskett.*
l. c.

§. 20.

Totius rei asscuratae pretium ab asscuratore exigere
nequit asscuratus , nisi

I. ea res plane perdita sit , vel

II. ex legum dispositione asscurato liceat , totius rei
pretium ab asscuratore petere , vel ob elapsum iam tem-
pus lege definitum , intra quod nuntius de naui vel merci-
bus asscuratis non aduenit (z) , vel ob conditionem , qua
vtitur res asscurata . Quo pertinet 1) si nauis per casum
fortuitum durante itinere ad nauigandum inhabilis eu-
dat , modo refectio vel ob qualitatem eius , vel ob caussas
externas fieri nequeat (a) . 2) si nauis , vel alia res , cuius
periculum in se recepit asscurator , ab hostibus vel piratis
capta 3) si res asscurata a principe vel a magistratu extraneo
(von hoher Hand) arresto adficiatur , vbi autem ex vna-
mi fere legum dispositione asscuratus per tempus legitimi-
num redditum nauis expectare (b) et durante hoc tempore

ad

(z) Pleraequae leges in eo con-
sentunt , rem asscuratam , si in
portum Europae vel Barbariae de-
stinata sit , vno , si autem in alium
portum destinata sit , elapsis 2 an-
nis pro amissa habendam esse . Ord.
v. AMST. art. 29. v. MIDDLE-

BVRG art. 12. v. ROTTERD. art.
67 SCHW. A. O. art. II. §. 2.
DÄN. A. O. §. 9.

(a) POTHIER n. 138. EME-
RIGON Ch. 17. §. 6.

(b) scilicet 6 menses si intra,
12 menses si extra Europam res

ad rem recuperandam curam sumtibus asssecutoris impendere tenetur (c). — Sed persaepe vbi asssecutor, domino rei totum eius pretium restituere tenetur, res ea postea ad asssecutum redire vel alio modo ei prodeesse potest. Itaque omnes omnino leges asssecutori imponunt obligationem cedendi asssecutori omnia iura, quae ei respectu rei asssecutae competit, ne lucrum percipiat asssecutus, ex hoc negotio, quod cum natura eius certaret. Eiusmodi cessionem vero leges vocant Abandonirung.

§. 21.

Quodsi contractus asssecutionis de mercibus initus fuerit, periculum asssecutoris incipit a momento, quo ex continenti in mare transportatae sunt merces; nec interest, an statim ipsi naui imponantur, an scyphis, quibus ad nauem aduehuntur. Finitur periculum, vt primum merces peracto itinere in terram expositae sunt (d). Si nauis ipsa

D 3

sit

arresto afficitur. Ord. v. AMST. art. 26. Ord. de la marine l. 3. T. 6. art. 49. PREVSS. Seerecht cap. 6. art. 1. §. 25. SCHWED. A. O. art. II. §. 3. Ratione rerum subitae corruptioni expositarum brevius spatium statuunt pleraque leges.

(c) vid. not. (b).

(d) Ord. v. AMST. art. 5. HAMB. A. O. T. 3. art. 12. Ord. v. ROTTERDAM art. 46. 47. PREVSS. Seer. cap. 6. art. 18. Ordon. de la marine l. 3. T. 6. art. 13. recap. de leges de las INDIAS l. 9. T. 39. I. 14. 38.

sit obiectum assecurationis, periculum incipit ab eo tempore, quo initium sit onerandae nauis, cessat periculum a momento, quo nauis leuata est (e). Quaedam leges tempus determinauerunt, intra quod nauis post aduentum in portum destinatum sit exoneranda(f), et ab obligatione liberant assecuratorem, ferendi periculum, si intra hunc terminum nauis non sit leuata. Quod vero tempus quum perbreue sit, et variae caussae retardare possint nauis leuationem haec legum dispositio quam strictissime applicari nequit (g).

§. 22.

Res assecurata, si vel plane periit, vel ex legum dispositione plane interiisse praesumitur (§. 20.) assecuator pretium eius assecurato restituere tenetur intra terminum pacto vel lege definitum. Terminus legalis ex plurimarum legum dispositione incipit a tempore, quo res assecurata cessa est assecuratori (h). Quodsi autem intra hoc legitimum

(e) *Ord. v. AMSR. art. 5. HAMB. A. O. T. 5. art. 12. PREVSS. Seer. cap. 6. art. 18.*

(f) *Ord. v. ROTTERDAM art. 44. PREVSS. Seer. cap. 6. art. 18.*

(g) MAGENS *Versuch*, cap. 34.

(h) *Ord. v. ROTTERDAM art. 68. PREVSS. Seerecht cap. 6. art.*

25. vnum mensem concedunt assecuatori SCHW. A. O. art. 11. §. 2.

3. duos menses Ord de la marine l. c. art. 44., Ord v. AMSR. art. 28., v. MIDDLEVRG art. 26. DÄN. A. O. art. 9. 10. tres menses constituant,

mum tempus non soluerit asssecuator, visuras, vario modo a legibus determinatas, soluere tenetur asssecurato (i). Soluenti vero durante hoc tempore ius competit deducendi 2 vel 3 pr. C. (k) — Si autem non plane interierit res asssecurata, sed tantummodo damnum passa sit, valet, vbi leges (l) vel conuentiones speciales nihil disposuere, regula iuris communis “in obligationibus, in quibus dies non possuntur, praesenti die debetur (m) — Damnum autem quod intuitu rei asssecuratae accidit, restituendum est 1) asssecurato cuius nomen continet poliza, vel si nomen suum non indicauerit, illi, in cuius fauorem clausula „für Rechnung den es angehen mögte”, inserta est polizae 2) illi in quem post initum contractum asssecurationis, asssecuratus obiectum huius contractus transtulit (n) et 3) mandatario asssecurati (o).

(i) WEDDERKOP *ius naut.*
§. 96.

(m) §. 1. I. de verb. obl. l. 14.
D. de regulis iuris.

(k) MAGENS cap. 58. EME-

RIGON T. I. p. 37. T. 2. p. 252.

(l) PREVES. *Seerecht.* art. 23.
SCHW. A. O. art. II, §. 2.

(n) EMERRIGON Ch. 16. S. 3.

§. 2.

(o) BALDASSERONI T. I. p. 2.
T. 7. §. 7.

SECTIO

SECTIO III.

DE MODIS TOLLENDI CONTRACTVM ASSECVRATIONIS.

§. 23.

Praeter modos tollendi obligationem omnibus conuentiobus communes, quidam sunt contractui assecurationis proprii, quo praecipue pertinet: 1) si dolus contrahentium vel minimus interuenerit. 2) si ea negligantur, quae mutuo partium consensu polizae sunt inserta. 3) si obiectum assecurationis ex aliqua cauſa periculo non expōnatur.

§. 24.

Totum negotium assecurationis quum bona fide nitatur, facile intelligi potest, omnem dolum contrahentium, vel minimum, inualidum reddere hunc contractum (*p*). Dissoluitur itaque conuentio, si quae periculum assecutoris

(p) WESKETT. T. I. pag. 161.

toris augere possunt, ante initum contractum ab assecu-
rato ipsi non sunt significata. Eodem modo asseturatio
infirmatur, si assurcator tempore initi contractus com-
pertum habuerit, rem cuius periculum in se recepit, iam
in eum locum, quo destinata erat, aduenisse, vel assecu-
ratus certior factus sit, rem assurcatam interiisse. Quae-
dam leges, ad evitandas eiusmodi fraudes, assurcato-
rem damnum sciuisse praeflumunt, si nuncius ex eo loco
vbi damnum accidit, ad eum locum peruenire potuit,
quo contractus initus, ita quidem ut pro qualibet hora 1
vel $1\frac{1}{2}$ milliaria computentur, tuncque assurcationem nul-
lam esse volunt (*q*). Quae vero legum dispositio, quum
persaepe fallax sit (*r*), contractui adiici solet clausula: "auf
gute oder böse Zeitung" quae renunciationem ad hanc le-
gitimam dispositionem continet (*s*). Non autem impedit
haec clausula, quo minus alio modo ab assurcatore possit

pro-

(*q*) *Ord.* v. AMST. art. 12.
v. ROTTERDAM art. 35. *Ord.*
de la mar. l. c. art. 39. *Recap. de*
leges l. c. leg. 7. *Statuta Ianuen-*
sia l. 4. art. 17. §, securitates fa-
ctae,

(*r*) MAGENS *Veruch* pag. 103.
104. Cap. 64.
(*s*) EMERIGON. Ch. 15, Sect. 5.
pag. 144.

probari, assecuratum tempore initi contractus interitum rei haud ignorasse (*t*).

§. 25.

Liberatur porro assessor ab obligatione restituendi
damnum, si ea sunt neglecta, quae mutuo partium con-
fensu polizae sunt inserta (*u*) quod praecipue sit: 1) si
alteri naui, quam quae in poliza nominata est, merces af-
securatae imponuntur (*v*). 2) si alias nauarchus naui praec-
ponitur. 3) si iter in poliza determinatum, mutatur. Di-
minuto autem nauigio, assessor praemium lucratur,
sed periculum quoque fert, donec nauis exonerata, vel
merces in terram expositae sunt. Prolongato itinere ces-
sat obligatio assessoris, nisi pro aucto praemio sese etiam
ad restitutionem damni post euidentis obligare velit (*w*) —
Regula autem, qualemcunque declinationem ab his, quae
in poliza fuerint determinata, tollere contractum asses-
sorius, quasdam habet exceptiones: nimirum. 1. si
confensus assessoris, vel antecedenter, vel subsequen-
ter

(t) Id. I. c.

(u) STREZZA, GL. 40. n. 1.
ALDASSERONI T. I. p. 4. T. 4
10, POTHIER n. 68.

(v) MARQVARD lib. 2. cap. 13.

(w) MAGENS Versuch, cap. 38.

ter intervenierit (*x*) 2) si necessitate cogente, vel ex iusta caussa fiat declinatio (*y*), vel 3) praecedente culpa magistri nauis vel nautarum, iis scilicet locis, vbi periculum, quod ex culpa nauarchi et nautarum nascitur, ad assecutorem spectat (*z*).

§. 26.

Tollitur denique contractus noster, si res assecurata ex aliqua caussa, etiam ob mutatam voluntatem assecurati (*a*), vel plane non periculo exponatur, vel non sic, ut in poliza determinatum est (*b*). Quod vero si accidit, etiam ad solutionem praemii compelli nequit assecuratus, solutum autem condicere ab assecuratore potest, deducto tamen $\frac{1}{2}$ pr. C. quod ex vnamini fere legum dispositione manet penes assecuratorem (*c*). Re assecurata tantummodo pro parte periculo exposita, restitutionem quoque partis praemii exigere potest assecuratus ab assecuratore. — Quod si

E 2. vero

(*x*) MARQVARD I. c. POTHIER
I. c.

(*y*) WESKETT. T. I. p. 74.
n. 3. PREVSS. Seerecht. art. 26.
HAMB. A. O. Tit. 5. art. 18. Ord.
v. AMST. art. 26. Recap. de leges
I. c. leg. 22.

(*z*) SCHW. A. O. art. 5. §. II.
PREVSS. Seer. art. 30. Ord. v.
AMST. art. 6. HAMB. A. O. Tit. 7.

art. 5.

(*a*) Ord. v. AMST. art. 23.
Ord. de la mar. I. c. art. 37.
PREVSS. Seer. art. 15. Recap. de
leyes I. c. I. 13. Ord. v. ROTTER-
DAM art. 56.

(*b*) LANGENBEK suppl. 6.
§. 52.
(*c*) vid. not. a.

vero *risko* asscuratoris semel inceperit, non amplius ad praemii restitutionem obligatur asscurator, etiam si risico tantummodo per breue tempus duret, praemium enim, quod pro susceptione periculi soluitur, ab asscuratore adquiritur, a momento quo res asscurata periculo exponitur, nec reuocari potest (d). Quae tamen regula exceptionem habet, si non vnius itineris periculum ab asscuratore est susceptum, sed plurium successiue instituendorum. Tunc enim, si iter posterius non incipiat, praemium pro susceptione periculi huius itineris asscuratori pensatum, ab eo nondum est adquisitum, atque repeti potest (e). Quaedam denique leges, asscuratorem, periculo eius tantummodo per tempus breue durante, ad restituendam praemii partem, vel legitime definitam (f) vel per arbitros determinandam (g) obligant.

(d) *Ord. de la marine* l. c. art. 27.
SCHW. A. O. art. 7. §. 4. WESKETT T. 2. p. III.
KETT T. 2 p. 112. EMERIGON.
Ch. 16. Sect. 2. BALDASSERONI
P. 6, T. 5, §. 32.

(e) WESKETT T. 2. p. III.
114 n. 7.
(f) *Ord. v. Amst.* art. 23.
(g) SCHWED. A. O. art. 7, §. 4.

Theses

T h e s e s.

I.

*Restitutio in integrum minoris non prodest fidei-
iuffori.*

II.

*Negotiorum gestor culpam leuissimam praestare te-
netur.*

III.

Judicia diuisoria non sunt actiones mixtae.

IV.

*Judicis sententia iniqua absolutus, solutum tanquam
indebitum repetere potest.*

V.

V.

Mandatarius praefstat culpam leuissimam.

VI.

*Padum successorum disposituum de hereditate ter-
tii inscientis etiam hodie non valet.*

VII.

*Res immobiles obiectum contractus depositi esse pos-
sunt.*

VIII.

*Per cessionem in extraneum factam finitur usus-
fructus.*


KK 698



Rehv 17.8.00 V

V017





DISSE^RTAT^O IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
**CONTRACTV
ASSECVRATIONIS**

QVAM
SVB AVSPICIIS REGIIS
INCLYTI IVRECONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE ET CONSENSV

AD
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES

AC
PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CAPESSENDA

D. MAII. MDCCCLXXXVIII.

PVBLINE TVERI CONABITVR
SIMON HENRICVS GONDELA
BREMA - SAXO,

G OT T I N G A E,
Litteris BARMEIERIANIS.